



TRACTATUS
DE OFFICIIS
CLERICORUM.

CLERICI nomen derivatur à voce Græcâ κληρικός, quæ idem significat ac Latine fors, sive quia quicumque divino ministerio addicti sunt, ad eam dignitatem non seipsos trudere, sed à Domino vocante, & quasi per sortem eligi debent; sive quia Deum, ut præstantissimam sortis, vel hæreditatis suæ, partem amplectuntur: Utramque hanc significationem admittit Hieronymus: *Propterea, inquit, vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini; vel quia ipse Dominus fors, id est, pars Clericorum est; qui autem vel à se pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut & ipse possideat Dominum & possideatur à Domino.* (Epist. 34. ad Nepotian. tom. 4. part. 2. pag. 259.)

Ex Clericis alii sunt sæculares, alii solemnibus vitæ religiosæ votis adstricti; inter sæculares

autem, alii beneficium quoddam Ecclesiasticum habent, alii nullum.

Dicemus 1^o. De Clericorum in genere, 2^o. de Beneficiariorum, 3^o. de Clericorum qui Religiosam vitam professi sunt officiis.

CAPUT PRIMUM.

De Clericorum in genere Officiis.

EX dictis in Tractatu de Ordine, nemini licet in statum clericalem sese intrudere, vel promoveri ad sacros Ordines, nisi à Deo vocatus fuerit; nisi innocentiam vel constanter retinuerit, vel congruè reparaverit; nisi idoneâ scientiâ instructus sit. De ceteris igitur Clericorum in genere officiis agendum superest. Cum autem singula sigillatim persequi longiores esset operis, ea solum attingemus quæ Clericis specialiter prohibentur, vel præcipiuntur.

ARTICULUS PRIMUS.

De iis quæ Clericis specialiter prohibita sunt.

Clericis specialiter prohibentur 1^o. venatio, 2^o. armorum gestatio, 3^o. ludi alexæ, 4^o. negotiatio, 5^o. popinarum ingressus, 6^o. luxus quilibet, 7^o. spectacula & choreæ.

De Venatione.

Venationem Clericis passim vetant sacri Canones: *Præcipimus, inquit Concilium Nannetense*

an. 1264, ut Prælati solliciti sint, & intenti in puniendos Clericos venatores, & præcipuè Presbyteros & Religiosos de quibus majus scandalum generatur. (Tom. 11. Concil. pag. 827.) Aurelianense: *Omnibus servis Dei, (id est Clericis) venationes & sylvaticas vagationes cum canibus, & per accipitres aut falcones interdiximus. (L. 5. Decretal. tit. 24. pag. 1762. Edit. Lugd. an. 1624.)* Eadem Synodus, cujus decretum refertur cap. *Episcopum*, sic prohibet: *Presbyterum aut Diaconum, canes aut accipitres, aut hujusmodi ad venandum habere non licet: quòd si quis talium personarum in hac voluptate sæpiùs detentus fuerit; si Episcopus est, tribus mensibus à communione; si Presbyter, duobus; si Diaconus, ab omni officio suspendatur. (Ibid. pag. 1761.)* Concilium Aqueense an. 1585 vetat ne Clerici aut canes accipitresve alant, aut aliud venaticum animal, armave ferant. (Tom. 15. Concil. pag. 1147.)

Ne tamen existimes quamlibet omninò venationem Clericis illicitam esse. Eam tantùm interdixit Canones, quæ dicitur *clamosa*, sive cum avium, canum, vel armorum strepitu exercetur. Id colligitur 1º. ex ipsius verbis quibus enuntiantur præfata Conciliorum decreta; 2º. ex Glossa in cap. *Episcopum*, quæ sic habet: *Clamosa venatio licita est Laicis; sed Clericis... non licet talis venatio, sed quæta, causâ necessitatis, vel recreationis; (Decretal. ubi suprâ.)* 3º. ex Synodo Tridentina quæ, dum præcipit ut Canonici ab illicitis venationibus abstineant, (Sess. 24. de Reform. cap. 12.) tacitè innuit quædam venationes non esse Clericis prohibitas, eas nimirùm quæ dicuntur *quæta*, & absq̃ue canum, avium armorumque strepitu fiunt. Sic Clericis licita est venatio quæ cum retibus, aliisve similibus instrumentis placidè & tranquillè peragitur; modò tamen nimirùm temporis non absumat, nec orationi, studio, aliisve officiis noceat.

Cur clamorosa & turbulentam venationem Clericis interdicerent Canones, multiplex causa fuit. 1º. Quia ab ea gravitate aliena est, sine quâ in publicum prodire nunquam debet Clericus. *In omnibus teipsum præbe*, inquit Apostolus, *exemplum bonorum operum, in doctrinâ, in integritate, in gravitate. (Tit. 2. 7.)* 2º. Quia ex ejusmodi venatione nascitur maxima mentis distractio & quasi evagatio; animus autem Clerici ad orationem semper promptus expeditusque esse debet. 3º. Quia inde fieri solet, ut animus quemdam crudelitatis & ferocitatis sensum paulatim induat, eamque mansuetudinem & humanitatem sensim exuat, quæ propria esse debet Clerici indoles. 4º. Quia maximum est periculum, ne in canibus venaticis nutriendis adhibeantur Ecclesiæ bona, quæ pauperum sunt patrimonium.

De Armorum gestatione, & ludis aleæ.

1º. *Arma ne fucrant Clerici*, ait Concilium Aqueense, *nisi itineris longioris causâ, atque tamen ea breviora, ac facultate ab Ordinario impetratâ. (Tom. 15. Concil. pag. 1147.)* Sic etiam jure canonico vetitum est: *Quicumque ex Clero esse videntur, arma militaria non sumant, nec armati incedant. (2. part. Decret. pag. 1809. Edit. Rom. an. 1582.)* Ratio est, quòd armorum tractatio eos non deceat, quibus non competit, inquit S. Thomas, *effundere sanguinem, sed magis esse paratos ad propriam sanguinis effusionem pro Christo. (2. 2. quæst. 40. art. 2. in corp.)*

2º. De ludis aleæ sic decernit Concilium Lateranense IV: *Clerici ad aleas & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint. (Can. 16.)* Interdictionem hanc renovat Concilium Tridentinum his verbis: *Statuit sancta Synodus, ut quæ aliàs à Summis Pontificibus, & à sacris Conciliis, de Clericorum vita, ... de aleis, lufibus, ... sa-*

lubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem pœnis, vel majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis, observentur. (Sess. 22. de Reform. cap. 1.) Concilium Senonense an. 1528: *A ludo alearum, inquit, aliisque qui à forte pendent, abstineant Clerici, neque ludentium fautores, spectatores, aut testes existant.* (Tom. 14. Concil. pag. 474.) Mediolanense I sic habet: *Nec solum Clericos ludere vetamus; sed eos ludorum spectatores esse nolumus.* (Part. 2.)

De Negotiatione.

Antequàm Ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari, factò jam non licet. (1. part. Decret. pag. 362.) *Secundùm institutà prædecessorum nostrorum, inquit Alexander III, sub interminatione anathematis prohibemus, ne Clerici vel Monachi causâ lucri negotientur.* (Lib. 3. Decretal. tit. 50. pag. 1413.) *Negotiationem omnis generis, ait Concilium Mediolanense I, omninò Clericis prohibemus.* (A. Eccl. Mediol. tom. 1. pag. 19. cap. 26.) Cur negotiationem Clericis Ecclesia prohibuerit, multiplex ratio est. Prima, quia in ea exercenda, plurimum occurrit peccati periculum, nempe iniustitiæ, mendacii, &c. Unde Canon *Ejiciens* sic observat: *Ejiciens Dominus vendentes & ementes de templo, significavit quia homo mercator vix aut nunquam potest Deo placere.* (Distinç. 88.) Secunda, quia animum à Deo rerumque spiritualium meditatione avocatur & distrahit, ac proinde eos dedecet qui Deo specialiter sese consecrârunt. *Nemo, inquit Apostolus, militans Deo, implicatur se negotiis sæcularibus.* (2. Tim. 2. 4.) Tertia, quia negotiatio est ordinata ad lucrum terrenum, ait S. Thomas, *cujus Clerici debent esse contemptores.* (2. 2. quæst. 77. art. 4. ad 3.)

Observandum est autem negotiatores non esse
1º. Clericos qui proprios colunt agros ut fructus

vendant: unicuique enim licitum est fructus ex agro suo provenientes iusto pretio vendere, ut inde vitæ necessaria sibi compararet: sed prædia aliena, ut ex iis lucrum percipiatur, conducere vetat Concilium Chalcedonense; (Can. 3.) 2º. nec Clericos qui res quaspiam, cum datur earum copia, vili pretio emunt, ut ipsas, cum ingruerit penuria, eodem pretio cognatis, amicis, vel pauperibus vendant: tunc enim nec avaritiâ, nec lucri cupiditate ducuntur; 3º. nec Clericos qui artem aliquam honestam, à suaque professione minimè alienam exercent, ut sua opera vendentes, vel sibi, vel proximo necessaria subministrent; sic Paulus Apostolus tentoria propriis manibus factitabat, ut iis non esset oneri quibus Evangelium prædicabat; sic quondam viri solitarii canistra juncis aut viminibus texebant, ut ex horum pretio viverent & pauperes sublevarent.

De Popinarum ingressu & Luxu.

1º. Ne Clerici popinas citra necessitatem ingrediantur, innumeris vetitum est Conciliorum decretis. *Non oportet Clericos, etiam Ostiarios, in cauponam ingredi,* ait Concilium Laodicenum an. 320. (Tom. 1. Concil. pag. 1502.) Idem prohibet Lateranense IV his verbis: *Clerici tabernarum prorsus evitent, nisi fortè causâ necessitatis in itinere constituti.* (Tom. 11. Concil. pag. 169.) Ita etiam se habet Mediolanense I: *Cauponarum aditu & usu Clericis omninò interdiximus, nisi in itinere necessitatis causâ.* (Tom. 1. part. 2. cap. 26. pag. 18. Edit. Lugd.) Alia prætermittimus Conciliorum decreta, & innumera Episcoporum statuta quæ pœnam suspensionis denuntiant Clericis, qui citra necessitatem tabernas ingressi fuerint.

2º. Clericis interdictum est quodlibet luxus genus. Sic enim jubet Concilium Carthaginense IV: *Episcopus* (ac proinde Clerici inferiores) *vilem*

supellecilem, & mensam ac victum pauperem habeat. (Tom. 2. Concil. pag. 1201.) Nicænum II, *Omnis jaçtancia*, inquit, & ornatu corporalis aliena est à sacramento Ordine; Episcopo ergo vel Clericis qui se fulgidis & claris vestibus exornant, emendari oportet. (Tom. 7. Concil. pag. 610.) Meminerint Clerici se Christi Ministros esse, qui paupertatem & verbis & exemplis professus est. Propter vos, ait Apostolus, egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopiã vos divites effectis. (2. Cor. 8. 9.)

De Spectaculis & Choreis.

Ludos scenicos & choreas, quales fieri solent, refugere debent Clerici; cum enim innocentie, bonique moribus maxime periculosa sint, ea Canones ab omnibus Christianis vitari jubent ut alibi ostendimus; sed ne iis intersint, Clericis specialim vetant innumera Conciliorum decreta. Clerici, ait Mediolanense I, choreas privatas aut publicas non agent, nec spectabunt; fabulis, comædiis . . . aliisve profanis & inanibus spectaculis non intererunt, ne aures & oculi sacris officiis additi, ludicris & impuris actionibus sermonibusque distracti polluantur. (Tom. 1. a. Mediol. part. 2. tit. 15. pag. 18.) Burdigalense an. 1583, Clerici, . . . inquit, neque comædias, fabulas, choreas, vel quid aliud ludicrum, ex iis quæ ab histrionibus exhibentur, agant vel spectent, ne vitus & obtutus sacris mysteriis dicati, turpium spectaculorum contagione polluantur. (Tom. 15. Concil. pag. 966.) Narbonense an. 1609 statuit ut Clerici contra agentes, pœnã carceris, & aliã ad arbitrium Ordinarii comprimantur. (Ibid. pag. 1616.)

ARTICULUS I I.

De iis quæ Clericis specialiter præcipiuntur.

1º. Jubentur Clerici capillitium breve gerere. Clericus, ait Concilium Carthaginense IV, neque comam nutriat, neque barbam. (Can. 44.) Si quis ex Clericis comam relaxaverit, anathema sit. (Lib. 3. Decretal. tit. 1. cap. 4. pag. 992.) Clerici qui comam nutriant, . . . etiam inviti, à suis Archidiaconis tondeantur. (Ibid.) Concilium Mediolanense I, Clerici, inquit, comam ne studiosè nutriant: capillis simplicem cultum adhibeant. (A. Eccles. Mediol. tom. 1. part. 2. cap. 23. pag. 17.) Graviter igitur contra Canones peccant Clerici, qui mulierculis similes, comas ostentant crispatas, cincinnatas, odorato pulvere conspersas, & quos, ait Hieronymus, sponso dicas, non Clericos.

2º. Clericis, præsertim Ordine sacro initiatis, præceptum est ut tonsuram ferant Ordini suo congruentem. Clerici, inquit Concilium Lateranense IV, coronam & tonsuram habeant congruentem. (Tom. 11. Concil. pag. 169.) Concilium Mediolanense I sic jubet: Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, ceterique Clerici, clericali tonsurã sint insigniti, ad eam formam quam ratio uniuscujusque Ordinis, Episcopi arbitrio postulabit. (Tom. 1. a. Eccles. Mediol. part. 2. cap. 23. pag. 17.)

3º. Clerici, & maxime qui Ordinem sacrum vel beneficium habent, sub gravi peccato tenentur habitum clericalem deferre, nisi eos legitima causa excuset. Clerici, inquit Concilium Lateranense IV, clausa deferant desuper indumenta, nimia brevitate, vel longitudine non notanda. (Can. 16. tom. 11. Concil. pag. 169.) Tridentinum ita constituit: Omnes Ecclesiasticæ personæ . . . quæ aut in sacris

fuerint, aut... beneficia qualiacumque Ecclesiastica obtinuerint; si postquam ab Episcopo suo, etiam per edictum publicum, moniti fuerint, honestum habitum clericalem illorum Ordini & dignitati congruentem, & juxta ipsius Episcopi... mandatum, non detulerint, per suspensionem ab Ordinibus, ac officio & beneficio, ac fructibus... ipsorum beneficiorum; nec non si semel correpti, denud in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum & beneficiorum coerceri possint & debeant. (Sess. 14. de reform. cap. 6.) Porro tantæ pœnæ non nisi propter grave peccatum imponuntur.

Sixtus V in Bulla quæ incipit, *Cum sacro-sanctam*, Clericis qui solâ tonsurâ donati, habent beneficia qualiacumque, etiam simplicia, aut etiam pensiones, præcipit ut habitum clericalem, vestes scilicet talares, ... assumant & jugiter deferant. (Tom. 2. Bullar. Rom. pag. 658. Edit. Lugd. an. 1655.)

Dixi autem, nisi legitima causa eos excuset. Quæ duplex esse potest, nempe 1^o. necessitas suum statum celandi, ut iis accidit qui apud Hæreticos fidem catholicam clanculum infinuant: 2^o. iter faciendum: *In itinere*, inquit Concilium Aquisense an. 1585, breviores vestes permittimus. (Tom. 15. Concil. pag. 1147.) Eandem licentiam facit Synodus Mediolanensis II sub S. Carolo, modò tamen Clerici peregrinantes eo utantur habitu, ex quo eos esse Ecclesiastici Ordinis homines cognosci possit.

4^o. Beneficarii & Clerici quicumque in sacris Ordinibus constituti, ad officii divini recitationem astringuntur, ut ostendimus in Tractatu de virtute Religionis.

5^o. Mulierum familiaritatem vitare debent Clerici, nec apud se suspectas retinere, quocumque in gradu consanguineæ sint; tum quia maximo sese exponerent periculo castitatem, quæ in Clericis summa esse debet, temerandi; tum quia pravam de se suspicionem injicerent, & Laicis

grande scandalum præberent. Hinc illud Concilii Nicæni I Decretum: *Plenissimè vetuit magna Synodus, Episcopum... aut ullum Clericorum habere secum subintroducã mulierem, nisi fortè matrem, vel sororem, vel amitam, vel denique eas solas personas quæ omni suspicione carere solent.* (Tom. I. Concil. pag. 238.)

Hinc Concilium Moguntinum an. 813 sic declarat: *Inhibendum est ut nullus Sacerdos feminas de quibus suspicio esse potest, retineat; sed neque illas quas Canones concedunt, matrem, sororem, amitam.* Hinc Synodus Aquisense an. 1585, eas tantum ancillas habere permittit, quæ annum quinquagesimum ætatis exegerint, & vitam non suspectam duxerint. (Tom. 15. Concil. pag. 1148.) Sibi dictum putet quisque Clericus, quod Nepotiano scribit Hieronymus: *Neque in præterita castitate confidas; nec sanctior Davide, nec Salomone potes esse sapientior.* (Tom. 4. Epist. 34. pag. 260.) Plerisque in diocæsis Clericis vetitum est, ne ancillas habeant quæ annum quadragesimum non attigerint.

CAPUT II.

De Officiis Beneficiorum.

TRIA potissimum sunt Beneficiorum officia; primum, ut unum duntaxat beneficium possideant, si ad honestum victum sufficiat; secundum, ut in beneficii loco resideant; tertium, ut ejusdem fructibus legitime utantur. Quod spectat ad primum, exponemus in Tractatu de Beneficiis: nunc superest ut de aliis differamus.